

## B E L G Æ.

Belgæ  
è Belgis  
Galliæ.Belgæ un-  
de dicti.

Urotrigibus ad Septentriones & Ortum prætendebantur olim BELGÆ, quos à Belgis Gallia populo in Britanniam demigrasse, & è nomine probabile, & auctoritate verisimile est. Belgæ enim è Germanis (ut Cæsar à Rhemis edoctus prodit) orti, Rhenum antiquitus traducti, propter loci fertilitatem ibi expulsis Gallis con-sederant, & inde (ut idem habet) in Britanniam prædæ, ac inferendi belli causa transferunt, omnesque iis civitatum nominibus appellabantur, quibus orti ex civitatibus, eo pervenerunt; & bello illato ibi remanserunt, atque agros colere cœperunt. Quo vero tempore huc commigrarunt, non liquet, nisi forte Divitiacus Suefionum Rex, qui ante Cæsarem floruit, huc Belgas traduxerit. Magna enim partis cum Galliarum, tum etiam Britannia imperium obtinuit ille. Vnde etiam Belgarum factum sit nomen, non satis explicatum. Hubertus Tho. Leodius vir apprime eruditus opinatus est Belgas esse vocabulum Germanicum, ideo quod Germani Gallos, & Italos Wallen, & nonnulli Welgen appellitent. Ioannes Goropius Belga à Belgica dictione Belke duci contendit, qua illis iram significat, quasi facilius, quam ceteri in bilem exardescant. Sed cum Belgarum nomen non ex illa lingua petendum videatur, qua hodie Belgio-Germani utuntur, & eadem fere est, cum nostra Anglo-Saxonica (à Saxonibus enim profuxit, quos in Brabantiam, & Flandriam Carolus Mag. traduxit) ego illis neustquam fidem abrogare statui, qui ex antiqua Gallica lingua, qua nostris Britannis fere incorrupta manet, deducunt, & Belgas dici volunt à Pel, quod illis remotum significat. Totius enim Galliæ erant remotissimi, & ut à cultu, & humanitate provinciæ, sic etiam situ, & sede longissimè aberant: & Poëta Morinos Belgicæ populos remotissimos esse docuit, cum cecinit, Extremique hominum Morini. Sed ad Belgas nostros, qui longe lateque habitaverunt per regionem Somersettensem, Wiltoniensem, Hantoniensisque agri partem interiorem, accedamus.

## S O M E R S E T - S H I R E.



Somersettensis Comitatus, vulgo Somerset-shire, ampla sane & opulenta est regio, Sabriniano freto à Septentrione pulsata, ab occasu Devonix, ab austro Dorcestriæ, ab ortu Wiltonix, & partim Glocestriæ Comitatibus contermina. Soli admodum ditis, maximam partem ad fruges, aut pabula eximiè fertilis; incolis frequentissima, & portuum commoditate satis scilicet. Nonnulli nomen inditum credunt, quod aura sit ibi lenis, & quasi æstiva, eoque sensu Glad arbas Britannis hodie dicitur, vocabulo è nostra lingua translato. Verum enimvero ut æstate verè æstiva regio, sic non immerito hyeme, hyberna dicatur, ita magna ex parte madescit, uliginosa, & palustris, non sine maxima itinerantium molestia. Veruntamen nomen proculdubio à Somerton totius conventus olim maxime celebrato oppido impositum credam ego, cum Asserius author in primis antiquus hunc agrum Somertunensem passim vocaverit.

Dunstor  
castle.

Ad Sabrinianum fretum (quia hic ager Danoniis est confinis) primum occurrunt Porlock, Saxonice Popelocan, & Watchet, olim Wesedpoort, navium stationes, quas anno DCCCLXXXVI Danica tempestas gravissime perculit. His interponitur Dunstor castrum, loco depressiori, & collibus, nisi qua mare prospicit, undique con-

clusum, à Mojonis sive Mohonis constructum, à quibus transactionibus tandem ad Luterellos devenit. Præclara & potens diu fuit hæc Mohunorum familia, floruitque ab ipsius Guilielmi Conquæstoris temporibus, sub quo castrum extructum, ad Richardi Secundi usque tempora. Duo ex hac Comites habiti fuerunt hujus provinciæ, Guilielmus, & Reginaldus, qui bello Baronico honore excidit. Posterius deinceps Barones censebantur, quorum ultimus Ioannes tres filias reliquit, Philippam uxorem Edwardi Ducis Eboracensis, Elizabetham Guil. de Monte-acuto Comitibus Sarisburix, ejus nominis secundi, & Matildem Domini Le-Strange de Knokyn. Quarum mater, (ut fama obtinet) tantum terræ sub hoc oppido in agrum compascuum à marito in gratiam incolarum impetravit, quantum illa uno die nudis pedibus circumire potuit.

Mohuno-  
rum, sive  
Mojo-  
no-  
rum fami-  
lia.Com-  
mons.

Huic castro adjacent duo viculi duobus indigitibus sacri, Caranton alter vocatur à Carantoco Britanno, alter S. Decombes à Decumano, qui è S. Decumanus. Southwallia solvens huc appulit, in vasta (ut in antiquo Agonali legitur) solitudine, frutetis, & vepribus obsita, densitate sylvarum in longum, & latum spaciöse porrecta, montium eminentia educta, valliumque concavitate mirabiliter interrupta; ubi mundi vanitati valedicens, à sicario transfossus divinum honorem apud populum consecutus est. Stoke-Curcy Baronia à suis dominis cognominata paulo remotius à mari sedet, Guilielmi de Curcy Dapiferi Regis Henrici primi habitatio: ex qua familia

Curcio-  
rum fami-  
lia.